

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XLVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

animorum studiōrumque disjunctio. Experientia non una hoc mihi persuasit, & rationi vehementer consentaneum pro tua prudentia facile colligis. Minutionem sanguinis, velim in autumnō à te tempestivius procurari, ne paroxysmus podagricus eam præveniat. Nam ubi is vel cœpit vel invaluit, venæ incisione non minuitur sed augetur morbus. Deinde & Terebintinæ usum velim abs te continuari ob calculum, cui præcavendo affectu mirifice conducit. Hæc scribo & moneo, quod pro tua magis quam mea ipsius valetudine sollicitus sum, pro qua non desinam præcari Dominum, ne Ecclesia privetur pastore & patre. Commendo te gratiæ DEI & me tuis sanctissimis præcationibus. Salutant te mea uxor, Coecius & Fuglinus. Scripsi Basil. die 22. Maji, An. 71.

Salvos quæso jube meis verbis Flinnerum, Fabrum, Papum, Piscatorem, & reliquos communes amicos & fratres, cum primis uxorem tuam, honestissimam matronam.

R. d. t. deditiss.

Sulcerus.



XLVI.

*S. Reverende & Clarissime Vir, Domine &
frater charissime.*

L iteras tuas novissimas non sine maximo dolore legi, ex quibus intellexi recrudescere malum, jam pridem sopitum. Cum autem meum consilium quæras, quod sane perexiguum est, & negotium sit arduum, scio tibi non adversum fore, si cum Collegis meis in summo silentio communicavero. Ut igitur mora sit tibi minime molesta, oro. Dabimus enim operam, ut quantum fieri potest, te piè juvemus in sancto proposito. *Es ist der Teufel eben gar ledig allenthalben* & minatur vestris Ecclesiis exitium. Dominus autem potentior illo est, qui conservabit pro sua bona voluntate. Ascendere nunc cogor 4. hujus in Herbertingen ad confirmationem novi Præpositi, quamprimum reversus fuero, curabo, ut responsum omne habeas. Tu ne cede malis sed contra audentior ito. Qui te hæcenus liberavit, ille porro quoque tibi aderit. Ideo bono & præsentis animo sis, *vir wollen der sachen recht thun.* Non est, ut te ad moderationem hortemur, quem videmus modestissimè agere, & non deerunt vobis honorum consilia. Hæc scribo sicut em Recepisse, donec reliqua sequantur. Cum Piscatore ut nihil suscipias, priusquam meas acceperis, rogo. Diem tibi per adolescentem dicam, quo Herrenalbæ aut Alpirsbachii primo quoque tempore conveniemus: Interea nihil litera-

Zz 3

sum

rum recepi à vicinis Ecclesiis vestris, in negotio concordia, quod, ut urges, etiam atque etiam oro. D. Sulzerus etiam fidelem navabit operam. Bene & feliciter vale. Raptim 2. Junii, 1571.

Tuus, ex animo, totus frater

Jacobus Andrea.

XLVII.

S Afflictio tua, vir réverende & charissime Frater, certè nostra est, ob quam gemimus ad dominum. Quam enim perturbet quamlibet etiam forte peccus, quando ex sinu nostro prodeunt, qui non solum spem fallant nostram & expectationem, sed in apertos etiam hostes degenerent, ex meipso & aliis conjecturam facio; & talem se certè ausu inconsulto M. Johannes Piscator præstitit, qui tantum non bellum apertum professione publica denunciavit, posteaquam ausus est eam doctrinam confellere, quæ non solum à tua Dignitate publico scripto & totius etiam ministerii Argentinensis liquida testificatione approbata est, ac pridem à pientissimæ memoriæ viro, communi nostro præceptore, Bucero, præter alia maximè in epistola ad Comandrum ostensa. Cujus exemplar penes Cunradum Hubertum manuscriptum extare scio, sicut & ego unum habeo. Cæterum ut molestus est hic assultus & graviorem confusionem spectans: ita nec novus est nec inustratus, & in aciem primum constitutus minister, primus etiam impetitur à Satana; sed potens est Dominus sicut & bonus & benignus, ut hæc etiam certamina ad sui nominis gloriam nostramque salutem convertat. De modo verò agendi quod quæris, utinam queam indicare maxime salutarem. Ac placet cunctatio, quo maturiore consilio peragantur omnia, sic tamen ne negligatur negotium, aut intermittatur sedulitas. Consilia communicanda censeo primum cum certè indubitataque fidei ministris, deinde cum toto conventu, ut ad quem etiam spectat. Simul verò priusquam aliquid præterea tentetur, per te uno alteroque ex Symmistis adhibito, sanatio privata interpellatione, si forte in viam revocari queat, adhiberi potest. Qua si ratione proficitur, salva erunt omnia: sin minus, in præsentia totius conventus placidè cum illo agendum erit, quo ejus testificationem habere queas. Utcunque autem res cadat, quia in Theologica professione, ubi specimen parum auspiciatum præbuit juvenis, nec dum in ea confirmatus est, expedierit meo judicio ad aliam professionem eundem transferri; quamquam præstaret, nisi totus resipiscat, à Schola abesse, ne pergeret